

005 HSS

A 3

C A T A L O G U S

CODICUM ORIENTALIUM

BIBLIOTHECAE ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM.

C A T A L O G U S
CODICUM ORIENTALIU M

BIBLIOTHECAE ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM

QUEM,

A CLAR. WEIJERSIO INCHOATUM, POST HUIUS MORTEM

ABSOLVIT ET EDIDIT

DR. P. DE JONG.

LUGDUNI BATAVORUM,
E. J. BRILL,
Academiae Typographus.

1862.

Manibus Virorum Clarissimorum

Weijersii et Juynbollii

HOC OPUS



BEDICAT

AUCTOR.

P R A E F A T I O.

Collectio Codicum, quorum Catalogum Lectori offero, fere tota, paucissimis numeris exceptis, pars fuit bibliothecae viri Clarissimi Joannis Willmet. Hic, a. 1750 Amstelodami natus, studia peregit in urbe patriâ, praesertim vero ab a. 1767—1772 Hardervici, ubi E. Scheidio, et deinde Lugduni Batavorum, ubi J. J. Schultensio magistris utebatur. Theologiae se dicaverat et munus etiam Verbi Divini Ministri ab a. 1777 per sedecim annos continuos obiit in pagis Nederhemert et Loenen, sed, sive Theologiae studioso, sive Verbi Divini Ministro, studium litterarum Orientalium Willmeto semper curae cordique erat. Gratum ergo ei evenit, ut a. 1793, E. Scheidio Lugduni Batavorum in locum H. A. Schultensii suffecto, Hardericum vocaretur ut magistro succederet. Non ita multos annos in hac urbe degit. Walraveno enim a. 1804 mortuo et munere Professoris ling. Orient. in Athenaeo Amstelodamensi ei delato, ad urbem rediit, ubi diem primum viderat, sed et postremum obiret. Nam munere dicto ad a. 1827 usque functus et rure de-

natus, ibi mortuus est die 22 mensis Octobris a. 1835 (a).

Per longam, quam Willmetus vixit, aetatem totus semper occupatus erat in Codicibus Orientalibus sibi comparandis. Simili desiderio ducebatur magister ejus Scheidius. Sed dum hic ad ipsum Orientem animum advertebat et thesaurum pretiosissimum e Constantinopoli et Halebo arcessebat, Willmetus ad solam patriam oculos habebat intentos. Librorum cupidus ubique hic circumspexit, et, quaecunque venalia emit, aut ab amicis dono accepit, aut ipse conscripsit, omnia diligenter in unum congesit, ita ut tandem viro, sumptui nec operae parcenti, collectio exstiterit, quae numeros 257 complectebatur.

De singulis his Codicibus et modo, quo Willmetus eos adeptus sit, referre hic meum non est. Omnia, quae hac de re innotuerunt, ad unumquemque numerum in Catalogo sedulo notavimus, haud leviter adjuvati annotationibus ipsius Willmeti, quas Catalogo Codicum suorum (num. CCLVIII) adjecit. Si vero de totâ collectione et modo, quo haec sensim exstiterit, paucis exponam, Lectori hoc non displicere confido, quia sic apparebit, quatenam sint praecipuae ejus partes, et simul quodammodo, quanti haec sint aestimandae.

Anno igitur 1773 Willmetus 41 Codices nactus est, qui primordia dici possunt ejus collectio-

(a) Cf. H. Bouman, *Gesch. van de voorn. Geldersche Hoogeschool*, H. bl. 509 en v.

nis, quippe quae adhuc paucissimis tantum numeris constabat. Hos 41 omnes a. 1773 in potestatem venisse Willmeti, ex anni notâ patet, a viro Clar. primo Codicum folio inscriptâ. De eorum vero origine nihil quidquam a Willmeto in num., modo dicto, CCLVIII annotatur, neque etiam a nobis in hoc Catalogo traditum est. Nihilominus diffiteri nolo, admodum probabile mihi videri eos omnes originem duxisse ex officinâ Stephani Schultzi et Alb. Fr. Woltersdorffii. Hi legati erant Instituti Judaici Callenbergii et inde ab a. 1752 per Orientem iter fecerunt, e quo tamen solus Schultzius, Woltersdorffio die 12 m. Aug. a. 1755 in urbe Ptolomais mortuo, a. 1756 salvus in patriam rediit; conf. diarium, a. 1771 et seqq. a Schultzio editum, c. t. *Der Leitungen des Höchsten nach seinem Rath auf den Reisen durch Europa, Asia und Africa*. Causa quod ab his duumviris, qui multos Codices, sive pecuniâ datâ, sive apographis factis, in Oriente sibi comparabant, nostrorum etiam originem repeto, haec est. Ex 41 libris Mss., quos eodem, ut vidimus, anno Willmetus acquisivit, 19 (a) deprehendi ab ipsis Schultzio et Woltersdorffio exaratos, hujus manus porro in duobus (b) aliis apparet: quid mirum si conjicio, ceteros vi-

(a) Sunt numeri XXXIX, XLI, XLII, XLIII, LXVII, CXLI, CXLVII, CXLVIII, CLIX, CLXXXVI, CXC, CXCH, CXCHII, CC, CCI, CCH, CCXXII, CCLV et CCLVI.

(b) Num. XXIII et XL.

ginti (a) etiam ex eodem fonte emanasse? Quomodo hi Codices in patriam nostram devenerint, non constat, sed fieri hoc potuisse, quisque intelliget, reputans, duumviros nostros, opportunitate datâ et conjunctim cum aliis rebus, saepius Codices ex Oriente ad Institutum Judaicum Callenbergii misisse et perferendi curam mercatoribus, Hollandis quoque, commendasse. Forte igitur mercator mandatum non exsecutus est, forte etiam (ne temere in calumniae crimen incurram) navis, procellâ acta et ad littora nostra appulsa, Codices huc attulit (b). Quidquid vero hujus rei sit, inter libros Mss., qui a. 1775 collectioni nostrae accesserunt, pauci reperiuntur memoratu digni (v. c. num. CLXXV et CCVI); plurimi Schultzio et Woltersdorffio adminicula fuerunt, quibus elementa linguarum Orientalium addicerent.

Anno 1780 novum incrementum cepit collectio nostra ex auctione librorum viri Clarissimi J. J. Schultensii, mense Sept. hujus anni Lugduni Batavorum habitâ. Ex hujus bibliothecâ 26 Codices emit Willmetus. Neque hi praestantiâ eminent; rariores sunt numeri XXII, CXII, CLVII, CLXVI, CLXXIII, CLXXIX et CCIV.

(a) Numeri XXXVI, XLVII, C, CVIII, CXLIII, CXLV, CL, CLXI, CLXVII, CLXXV, CLXXXII, CLXXXV, CLXXXVII, CXCVIII, CXCIX, CCVI, CCVII, CCIX, CCXIV et CCXXI.

(b) Revera de tali naufragio in vicinâ insulae Texel loquitur Schultzius in Diario laud. (T. IV, S. 378 in n.), deplorans tot Codices Orientales pretiosos, ab ipso in Oriente conquisitos, ibi interiisse.

Anno 1800 Willmetus bibliothecam auxit 41 libris Mss., mense Sept. Medioburgi emtis. Pristinus eorum possessor J. J. de Bruin, Consul Medioburgensis, hos fere omnes sibi comparaverat e bibliothecâ viri Clar. Jacobi Willemsen, Prof. Mediob., anno 1781 Lugduni Batavorum venditâ. Hi Codices, inter quos 8 apographa G. J. Lettei (a) reperiuntur, non majoris pretii sunt quam Schultensiani, modo dicti. Digni tamen sunt, ad quos attendatur, numeri CX, CXIII, CLXXVI et CCVIII; conf. etiam n. LXV, CXXX, CXXXV, CXCIV, CCXXXII—CCXXXVI et CCLI.

Anno 1801 collectioni nostrae 7 tantum Codices accesserunt, mense Febr. Duisburgi emti e bibliothecâ viri Clar. J. P. Berg, Hist. Eccles. et Ling. Orient. Prof. Sunt 6 exilia apographa ipsius Bergii et unus Codex parvi momenti.

Anno 1804 contra insignem Codicum numerum, nempe 47, nactus est Willmetus e bibliothecâ viri Clar. D. A. Walraven, in Athenaeo Amstelodamensi ling. Orient. Professoris. Manuscripta, in librorum Walraveni Catalogo p. 55—57 memorata, omnia, exceptis tantum numeris 8 et 36 (b), emit 60 florenis Hollandis. Pretium sanequam non ma-

(a) G. J. Lette, a. 1725 natus, studiis peractis, ab a. 1747 in pago Valkenburg et deinde ab a. 1750 in urbe Zierikzee munere Verbi Divini Ministri functus est. Obiit in hac urbe d. 21 m. Oct. a. 1760.

(b) E Catalogo tamen Codicum Willmeti, in n. CCLVIII obvio, efficeret, cum quondam hunc etiam numerum acquisivisse.

gnum, si attendimus ad Codices nonnullos praestantissimos et rarissimos, quibus potiebatur, vid. imprimis n. VII, XXVII, XLIV, CI et CII. Numeri CXXXIII et CXLII quoque notatu digni sunt. Ceterum inter hos Codices multa apographa reperiuntur, a Gyongyossio (a), Reiskeo (b), N. G. Schroeder (c) et manu mihi ignotâ exarata.

Annus denique 1806 ex auctione bibliothecae Ev. Scheidii, litt. Orient. in Acad. Lugd. Bat. Professoris, 33 (d) Codices attulit. Nota est insignis hujus viri Clar. collectio, quae numeros non ita multos, sed pretiosissimos complectebatur ideoque non sine causâ eruditos exteros, ex. g. de Sacyum, valde alliciebat (e). Paucissima tantum manuscripta ex hac collectione Bibliothecae Lugduno Batavae coemta sunt; eo magis laetamur non plura quem cheu! locum habuit, e patriâ evasisse, sed bene multa

(a) Erat Hungarus et discipulus A. Schultensii. Vid. de eo Reiskei *Lebensbesch.*, S. 104 et 120.

(b) Vir hicce notissimus A. Schultensii tempore per 8 annos (1738—1746) in patriâ nostrâ versatus est.

(c) N. G. Schroederus, a. 1721 natus, ab a. 1743 Marburgi et mox ab a. 1748 Groningae ling. Orient. Professor fuit. Obiit anno 1798.

(d) Ex his 32 descripti sunt in nostro Catalogo. Unus enim, n. 256 ex Willm. Cat., quippe Latinus, adhuc cum 4 aliis numeris in bibliothecâ Academiae Regiae Scientiarum exstat; vide infra p. xvi.

(e) Numeri v. c. 36 et 37 e Scheidii Cat. (v. de Sacy in Proleg. ad Haririi ed. 2^{am} p. v et vi), 18 et 41 (v. de Sacy *Chr. Arab.*, II, p. 423 et III, p. 261, ed. 2^{ae}) 50 et 22 (nunc Monachii asservati, v. *Z. d. D. M. G.* XIII, p. 229 et 232 sq.) omnes in Galliam abierunt.

Willmeti curâ hîc adhuc adesse. Quaedam ex his quanti pretii sint, judicare licet ex collatis numeris XXX, XXXII, LII, LXIX, LXXXVI, CVI, CLII et CLV. Apographa neque inter hos libros desiderantur: sunt 5 numero, manu ipsius Scheidii scripta.

Codicibus, e bibliothecis horum virorum doctorum acquisitis, diversis temporibus alii accesserunt, quos Willmetus aut peculiari quadam opportunitate emit, aut ab amicis dono accepit aut denique ipse scripsit (a). Sic per totam vitam ducebatur vir Clar. indefesso studio manuscripta sibi comparandi, ita ut collectionem, cujus adolescens 18 annorum initium fecerat, anno aetatis 85^{to} e vitâ discedens, ad numeros 257 evectam relinqueret.

Antequam d. 22 m. Oct. a. 1835 diem supremum obierat, Willmetus significaverat ei in optatis esse, ut collectio Codicum suorum tota coemertur bibliothecae Instituti Regii Neerlandici. Quod revera obtinuit. Codices, a. 1836 Regi nostro augustissimo Guilielmo I venales oblatis, ab hoc ad unum omnes emti sunt et benevole Instituto dono dati. Anno igitur 1857 numeri illi 257 jam adierant in loco, a Willmeto exoptato, ubi mox aliis septem augebantur. Accedebant nempe 4 numeri, hoc ipso tempore a viro Clar.° N. G. van Kampen bibliothecae Instituti dono dati, n. 258 (sive CXXVI

(a) Libri 18 sequentes ejus manu exarati sunt: n. XXIV, L, LI, LXVIII, LXX, LXXII, LXXIII, LXXVI, XCII, XCVI, XCIX, CIV, CV, CVII, CLXIII, CCLVII, CCLVIII et CCLIX.

ex hoc Cat.), 259 (sive CLIII), 260 (sive XI) et 261 (sive CXXVII). Unus porro, n. 262 (sive CXXI), jamdudum in bibliothecâ Instituti existerat. Duo reliqui n. 263 (sive CCLVIII) et 264 (sive CCLIX) catalogi erant Codicum Willmeti, hujus manu scripti, qui nunc ipsis Codicibus adjungebantur.

Hoc itaque modo a°. 1837 comparata erat nostra collectio, quum vir Clar. H. E. Weijersius curam novi Catalogi ejus conscribendi suscipiebat. Catalogus enim, anno 1837 e manuscripto Willmeti (n. CCLIX) editus, brevissimus et valde imperfectus erat, et sponte desiderium excitabat alius Catalogi, in quo Codices modo ampliore et magis accurato describebantur. Weijersius hoc opus incepit, sed, invitâ magnâ ejus diligentîâ, in eo absolvendo non cito pergebat. Impediebatur loci distantîâ, gravissimis muneris negotiis, sed praesertim, ut ipse fatetur (a), multis et magnis difficultatibus, quas ipsa Codicum descriptio ei creabat. Accuratissime, ut solebat, rem suam agens, neque res, quae aliis minoris momenti videntur, negligens, sollicitè singula pervestiganda esse existimavit. In fata uniuscujusque Codicis, quoad ejus fieri posset, inquirere, singulorum apographorum, quae magno numero in collectione nostrâ exstant, et manum et fontem indicare sibi proposuit. Opus sane laborio-

(a) Vid. quae hac de re monuit in dissertatione, mense Sept. anni 1841 membris tertiae classis Instituti praelectâ, c. t. *Over het katalogiseren van Oostersche Handschriften* et. Edita est a. 1844 in opere *Het Instituut*, p. 60—84.

sum ei, qui nostram collectionem descripturus est, cujus Codices undique confluerunt et cujus apographa saepissime omni indicio aut scriptoris aut fontis carent. Hinc igitur factum est, ut opus, tarde procedens, anno demum 1842 prelo subjiceretur. Longe tamen abfuit, ut jam totum prelo esset paratum. Weijersius, ut ex omnibus certissime patet, opportunitate datâ tantum elaborabat, quantum sufficeret ad plagulam identidem typis mandandam. Hinc opus prelo subjectum iterum lento gradu processit, ita ut per annos 1842 et 1843 paucissimae solummodo plagulae typis excuderentur. Die 1 mensis Aprilis anni 1844 post morbum diuturnum obiit Weijersius, novi Catalogi paginas 1—64 impressas, p. 64—68 prelo subjectas et apparatus qualemcunque ei relinquens, qui in posterum laborem operis continuandi susciperet.

Viro Clar. T. Roorda multis negotiis cum novo munere, quod eodem hoc tempore in Academiâ Delphensi auspicatus erat, conjunctis, obruto, hic labor eodem anno 1844 committebatur viro Clar. P. J. Veth. Licet nihil magis exoptans quam tale opus pium in memoriam magistri perficere, cunctanter tamen Clar. Veth mandatum suscepit, timens, ut aliquando id persequi posset. Apparatu enim, a Weijersio relicto, perlustrato, ei patuerat, mandatum illud postulare, non ut e chartis Weijersii editionem curaret, sed ut totum se daret ad collectionem universam penitus cognoscendam et suo Marte describendam. Tanto labori multum temporis requirebatur, quod eum impendere anni

proxime sequentes non siverunt. Tandem anno 1851, Institutum Regium Neerlandicum sublatum iri praesagiens, mandatum aegre deposuit.

Academia Regia Scientiarum, quae deinde Institutum Regium Neerlandicum excepit, nacta est collectionem nostram, sed mox satisfecit desiderio Clar. Juynbollii, carissimi praeceptoris nuper cheu! defuncti, petentis ut Codices Orientales in usum Academiae Lugduno-Batavae traderentur. Idem desiderium viri Clar. Weijers et Veth jam antea Instituto significaverant. Mense Februarii igitur anni 1856 collectio 228 numerorum translata est in Bibliothecam nostram, hac conditione, ut Codices tamdiu in usum Academiae Leydensis traderentur, quamdiu Academia Regia ipsos non reposceret, utque a reliquis Bibliothecae Leydensis Codicibus, suis notis numerisque distincti haberentur (a). Numeris his 228, Codicibus nempe Semiticis, Persicis et Turcicis, postea omnes reliqui, aliis ab his diversis linguis scripti, accesserunt, exceptis tantummodo 5 numeris, ex Willm. Cat. n. 231 (b) et 254—257 (c), qui adhuc in Bibliotheca Academiae Regiae Scientiarum exstant.

(a) Vid. Juynboll, *Oratio de Codicum Orient.*, qui in *Acad. Lugd. Bat. servantur, bibliotheca*, p. 22 et in *Z. d. D. M. G. X.*, S. 811.

(b) Opus Sinicum et Japonicum, de quo conf. Willmet, *Schets van den staat der Oostersche Litteratuur in Holland in de achttiende eeuw*, (*Verhandelingen van het Kon. Ned. Instituut*, 1820, II, p. 230—238), coll. *het Instituut*, 1843, p. 21.

(c) Sunt Manuscripti Latini.

Labor Catalogum continuandi ab hoc inde tempore mihi committebatur, quem, semel atque iterum ab hoc opere avocatus, nunc absolutum Lectori trado. In quo labore perficiendo quisque videt normam eandem mihi observandam fuisse, quam Clar. Weijersius in paginis illis, jam dudum typis excusis et flavo colore distinctis, persecutus esset. Hoc ideo monere juvat, ne Sprengerus aliisque mihi vitio vertat, hunc Catalogum conscriptum esse » in lateinischer Sprache, und in alter schwerfälliger Form, wo jeder Artikel anfängt mit »Codex chartaceus forma majori" u. dgl." (a). Ceterum omni ope me contendisse, ut collectionem penitus cognoscerem et, quoad ejus fieri posset, Codices ex ingenio Weijersii describerem, ipse Catalogus, ut confido, demonstrabit. Numeros XXVIII et XXIX, inter libros argumenti grammatici collocandos, sed a Weijersio omissos, in fine hujus Capituli addidi; apparatus hujus viri Clar., numero 265 (sive CCLX) signatum, toti Collectioni adjunxi.

Restat ut Viris doctis, qui auxilio mihi fuerunt in describendis Codicibus, linguis mihi ignotis exaratis, publice hinc gratias agam pro benevolentia mihi praestita.

Lugduni Batavorum
mense Martio.

P. DE JONG.

(a) Vid. *Z. d. D. M. G.*, XIV, S. 294.

VIII.	Libri Indici.	p	281
IX.	Libri Malabarici.	»	282
X.	Liber Singalicus.	»	285
XI.	Liber Telugu.	»	284
XII.	Liber Malayâlim.	»	284
XIII.	Libri Malaïci.	»	285
XIV.	Liber Javanicus.	»	288
XV.	Liber Batakkius.	»	288
XVI.	Libri Bugici.	»	289
XVII.	Libri mixti argumenti et variis lin- guis scripti.	»	290
	Indices.	»	299

LIBRI MANUSCRIPTI ORIENTALES.

**I. Libri Hebraïce scripti aut ad linguam
Hebraeam spectantes.**

N. I.

(Ex Willmeti Catalogo n. 215 in p. 31. Ab hoc emtus
est e bibl. Walraveni, cujus vide Catal. p. 57 n. 10.)

Volumen chartae pergamenae, in quo *Liber Esthe-
rae* scriptus est. Longum est unam palmam et sex
pollices Neerlandos, latum vero duas ulnas et prope
sex palmas. Sex constat membranae partibus inae-
quali latitudine, inter se consutis; undeviginti au-
tem scripturae columnas offert, quarum itidem aliae
aliis latiores sunt. Nec eundem quoque versuum
numerum hae continent: tres primae, quae majori-
bus litteris et fusius sunt scriptae, 18; sex sequen-
tes, quae paullo minoribus et pressius, 21; aliae
etiam plures ad 25 usque. Manus sat bona et per-
spicua est, at neque elegantissima nec ubique firma.
Vocalibus destitutum est, et verba ita inter se con-
tinuata, ut colorum quidem distinctio nulla appa-
reat, solae autem sectiones majores relictis spatiis a
se invicem separatae sint. Aetas non indicata: tria
et vel plura saecula habere potest, nec multo certe
recentius esse, pallidior et ad flavum vergens atra-
menti color arguit. Cum tegumenti expertus sit, ex-
terior ejus pars paululum aquâ et pulvere inquinata
est, interior vero bene conservata.